



M. TVLLII CICERONIS

P R O

L. M V R E N A,

ORATIO TERTIA ET VICESIMA.

I QVAE deprecatus a diis immortalibus sum,
 i judices , more institutoque majorum , illo
 die , quo auspicato , comitiis centuriatis , L.
 Murenam consulem renuntiavi ; ut ea res
 mihi magistratuique meo , populo plebique
 Romanæ , bene atque feliciter eveniret : ea-
 dem precor ab iisdem diis immortalibus ob-
 ejusdem hominis consulatum una cum salute
 obtinendum , & ut vestræ mentes atque sen-
 tentiæ cum populi Romani voluntatibus , suf-
 fragiisque consentiant , eaque res vobis , po-
 puloque Romano , pacem , tranquillitatem ,
 otium , concordiamque afferat . Quodsi illa
 sollemnis comitorum precatio , consularibus
 auspiciis consecrata , tantam habet in se vim
 & religionem , quantum reipublicæ dignitas
 postulat : idem ego sum precatus , ut eis quo-